

*erro es quando algun mal fechor anda haciendo algun mal recaudo, furtando, o haciendo otros yerros manifestamente, de manera, que lo saben los homes de aquellos Lugares: e es cosa manifesta el fecho de el, es en guisa, que se non puede encubrir. De his, que ad accusationem, accusatorem, & accusatum pertinent agit late pro praxi Hevia Bolaños in Curia Phillip. p. 3. §. 8. 9. & 10.*

## TIT. II.

## De Calumniatoribus.

23 **C**alumnia late sumpta dicitur qualibet cavillatio, vel informatio fraudulenta, ex qua tertio aliquod detrimentum resultat. Calumniator in criminalibus est qui scienter, & dolo malo falsum crimen contra aliquem proponit. c. 8. 2. q. 3. l. 1. §. 1. l. 6. §. fin. ff. ad S. C. Turpil. l. pen. C. b. t. Alius est calumniator verus, ille scilicet, de quo, vel per propriam ejus confessionem judiciali, vel alias legitimas probationes constat, quod dolo vero, & scienter falsum crimen in judicio objecit. Alius est presumptus, ille scilicet, qui in probatione criminis contra alterum delati defecit: nam cum paratas probationes habere, deberet calumniandi animo crimen, quod non probavit, presumitur objecisse. c. 2. e. 3. 2. q. 3. Affines calumniatoribus sunt prævicatoribus, & tergiversatoribus. Sic J. C. in L. 1. ff. ad S. C. Turpillian. Acusatoris temeritas tribus modis detegitur, & tribus penis subjicitur: aut enim calumiantur, aut præviciantur, aut tergiversantur: calumniari, est falsa crimina intendere, præviciari vera crimina abscondere tergiversari in universum ab accusatione desistere, quod transcriptum invenitur in c. 8. 2. q. 3. prævicator ergo proprie est ille, qui aliquem accusat, & cum eo colludit, falsas exceptiones admittendo, & veras probationes delicti reticendo, & dissimulando, ut reus absolvatur minus proprie prævicator: dicitur Advocatus, vel procurator, qui adversam partem adjuvat prodendo sui clientis causam, tacendo, quæ debent aperiri, vel manifestando, quæ taceri oportet. L. 1. ff. de Prævicator, ibi: Prævicator est quasi varicator, qui diversam partem advocat prodita causa sua, quod quidem nomen à varia certatione deductum est nam, qui præviciatur ex

utraque parte consistit. Hujusmodi igitur prævicatoribus postquam de hoc crimine sunt condemnati, infamiam juris incurrunt. L. 3. §. fin. l. 4. ff. de Prævicator. fiunt irregulares. c. 87. de Reg. jur. in 6. & poena arbitrio Judicis pro circumstantiis infligitur. L. 2. ff. de Prævicator. Menoch. de Arbitr. cas. 323. ex n. 3. Tergiversator dicitur ille, qui aliquem in judicio accusavit, & postea quasi tergum vertens ab accusatione desistit, nisi accusatus à reorum numero auctoritate publica exemptus sit, accusationis memoria abolita. L. 1. & 12. ff. ad S. C. Turpil. olim infamiam, & irregularitatem, & poenam pecuniariam incurrerat. Hodie hæ poenæ sublatae sunt, siquidem etiam accusatore desistente ab accusatione Judex ex officio procedere debet. Jul. Clar. §. fin. q. 58. Molin. & alii. Imponere alii falsum crimen, quocumque prætenu, peccatum grave est. Inde Innoc. XI. hæ propositiones damnavit: 43. quid nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere. 44. probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. Pro quarum majori intelligentia vide earum Expositores.

24 Calumniator verus I. incurrit infamiam juris c. 1. 2. q. 3. l. 1. ff. de His, qui notant infamiam, non tamen ipso jure, sed post sententiam, qua Judex eum calumniatorem pronuntiat. L. 4. §. 4. ff. de His, qui notant infamiam. Et tunc fit irregularis, nec potest ad ordines promoveri, neque in susceptis ministrare. c. fin. D. 51. & ad dignitates, & beneficia Ecclesiastica inhabilis redditur. c. 11. de Excessib. Prælator. c. 87. de Reg. jur. in 6. Suar. de Censur. D. 48. sect. 2. n. 1. 2. statuta est poena talionis, seu similis illi, qua accusatus, probato crimine puniretur. Dent. 19. v. 18. Cuique invenerint falsum testimonium dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo fecerit cogitavit. c. 2. e. 3. 2. q. 3. & Lege Rhemniana fuit statutum, quod in fronte calumniatoris inscriberetur littera R. quæ est prima calumniatoris. L. 1. §. 2. ff. ad S. C. Turpil. Et ibid. Gotof. Et licet Jure Hispano poena talionis sit admissa in L. 26. tit. 1. p. 7. ex consuetudine generale non servatur, ut notat Greg. Lop. in L. 13. tit. 9. part. 4. V. A pena de talion. In jure tamen Canonico poena talionis servari debet ex Const.

S. Pli V. ut refert Gonzal. in c. 1. b. t. n. 10. & incipit. Cum primum. 6. Kal. Apr. 1566. 3. Debet condemnari in expensis litis, & damna, quæ ob ejus calumniam passus est accusatus. Menoch. de Arbitr. cas. 321. n. 34. Imò debet accusator idoneam preparare cautionem, quod expensas, & damna refundet, & de injuria satisfaciet, si delictum non probet. 4. Clericus calumniose accusans alium Clericum, si hoc probetur, officio, & beneficio Ecclesiastico privatur, in exilium mittitur, & verberibus castigatur. c. 1. b. t. tamen hæc poena, quoad verbera, hodie generali consuetudine abolita est. Clar. §. fin. q. 70. n. 2. quoad alia etiam hodie potest à Judice infligi Diaz Pract. Crim. Can. cap. 37. n. 1. 5. Aliquando poena falsi damnatur. Menoch. de Arbitr. cas. 322. n. 5. Hodie arbitrio Judicis relinquuntur taxanda poena contra calumniatores pro varietate circumstantiarum, habita ratione ad similes poenas in jure stabilitas, nam Constitutio. S. Pli V. statuens poenam talionis in calumniatores veros, vel non admissa, vel est per contrariam consuetudinem abrogata, poteritque Judex condemnare ad publicam infamiam, deportationem, triremes; imò ad mortem: precipue si accusatus ob calumniam morte sit condemnatus. Clar. §. fin. q. 81. n. 3. poena infligenda in calumniatores presumptos, qui in criminis delati probatione defecerunt, ferè est eadem. c. 1. e. 3. 2. q. 3. e. 2. b. t. quod si probet, sed dolo in accusatione caruisse, ab his penis liberatur; imò etiam à condemnatione expensarum, si probet culpa caruisse, & non ex temeritate accusasse. Licet nihil calumniatorem verum, quando de ejus calumnia constat, excuset, calumnia tamen presumpta non inducit presumptionem juris, & de jure, ac proinde probationem in contrarium recipit, qua accusator dolum, & animum calumniandi excusare intendat. c. fin. b. t. quod ut plurimum Judicis arbitrio relinquuntur. arg. L. 1. §. 3. ff. ad S. C. Turpil. Sicque à calumnia presumpta liberatur, qui ex necessitate officii accusat, ut Tutor: vel si hæres homicidium defuncti accusaret. L. 21. tit. 1. p. 7. Procurator fiscalis. L. 2. C. de Delator vel alia persona publica, dum verosimiliter accuset: secus si leviter, & temere; nam tunc tenebitur, sicut quilibet privatus. Etiam ab hac presumptione excusatur denuntians, si semiplene probavit delictum, vel à testi-

bus fuit deceptus, vel probationes forte per mortem testium defecerunt, vel alio modo sunt malitiose subtractæ: si non ipsum delictum, sed circumstantias suspicionis, vel indicia sufficientia proposuit, vel à fidedignis audisse se ostendat, vel, si ex immanitate criminis, vel doloris accusavit; v. g. ex morte parentis, vel si ob fragilitatem accusavit, ut mulier. L. 1. §. 10. ff. ad S. C. Turpil. In aliis hujusmodi casibus excusatur etiam à poena, quo in probatione defecit.

## TIT. III.

## De Simonia, &amp; ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.

25 **S**imonia jam à primis seculis invaluit; nam Giezi Elissæ famulus vendidit sanitatem lepræ divinitus Naaman Syro datam. 4. Reg. 5. c. 11. 1. q. 1. l. 2. tit. 17. p. 1. Postea Simon Magus (à quo nomen accepit simonia) ab Apostolis Spiritum Sanctum, id est, gratiam sanctificantem, emere voluit, ut illam postea vendendo, lucrum caperet Act. Apost. 8. ex v. 18. c. 11. 1. q. 1. c. 8. 1. q. 3. l. 1. tit. 17. p. 1. ibi: *Et simoniatores esse nomen de Simon Mago, que fue un Encantador, que era en tiempo de los Apostoles.* Et hodie tam ementes, quam vendentes res spirituales simoniaci dicuntur, licet proprie loquendo solum deberent sic vocari ementes res spirituales, cum illas vendentes dicantur Giezitæ. L. 2. tit. 17. p. 1.

26 Simonia communiter definitur, studiosa voluntas emendi, aut vendendi, aliquid spirituale, vel spirituali annexum. L. 1. tit. 17. p. 1. ibi: *Caen en pecado de simonia los omes, queriendo, è haviendo muy gran voluntad por sobejana cobdicia de comprar, è de vender cosa espiritual, o otra cosa, que sea semejante de ella.* Dicitur studiosa voluntas, id est actio voluntaria, deliberata, & cum advertentiâ ad malitiam. Sicque in presenti voluntas sumitur pro effectu, seu actu voluntatis. Hinc qui fectè promissit, cum tali voluntate, & animo careat non incurrit simoniam, nec ejus poenas in foro conscientie, licet in hoc graviter peccet, alterum ad simoniam inducendo: in foro tamen æterno ob tale pactum judicabitur

simoniaci, donec fictionem probet, & animo caruisse. *Suarez de Simon. L. 4. c. 4. in 5. 2. Emendi, vel vendendi*, quo nomine venit quicumque contractus onerosus, quo pro re spirituali datur, vel promittitur aliquid temporale tamquam pretium, quod ad emptionem necessario requiritur. Ideo aliqui ad faciliorem explicationem addunt hæc verba: *Emendi, vel vendendi pretio temporali. 3. Spirituales, vel spirituali annexum*: & sic materia simoniæ significatur, scilicet merx, seu res, quæ emitur, vel venditur, atque adeo tria simoniam constituunt. 1. pactum onerosum. 2. merx, quæ est res spiritualis, vel spirituali annexa. 3. pretium, quod in re temporali consistit. De quibus sigillatim agemus.

27 Simonia alia est Juris Divini, vel Naturalis, altera Juris Positivi, & Ecclesiastici, ut dicunt communiter DD. Et licet simonia Juris Positivi non sit propriè de simonia. *Sot. de Just. L. 9. q. 5. art. 2.* adhuc nomine simoniæ venit, licet minus propriè. *Suar. de Simon. L. 4. c. 2. n. 1.* Omnis simonia, quæ intrinsecè mala est, est simonia Juris Naturalis, seu Divini, (quod non idem est ac Naturale) adeoque sunt duæ voces synonymæ. Siquidem nullum Jus Divinum positivum extat, specialitèr prohibens simoniam, & Christus, quando apud *Matt. 10. v. 8.* dixit: *Gratis accepistis, gratis date.* Nullum de novo preceptum imposuit, sed Jus Naturale explicavi. *Suar. de Simon. L. 4. c. 2. n. 11.*

28 Simonia Juris Naturalis, vel Divini committitur, quando pro re temporali datur res spiritualis, vel spirituali annexa; ut gratia sanctificans, Sacramenta, consecratio, benedictio Ecclesiastica, jurisdictio Ecclesiastica, officium spirituale, &c. Jure Naturali à Deo mentibus nostris insito repugnat, rem temporalem, æquiparare rei spirituali, & Donis Dei, cum teste. *Apost. ad Philipp. 3. v. 8.* Res temporales in comparatione spiritualium æstimentur, ut stercora: maxime ergo injuriosum est Deo, & rei spirituali eam cum temporali velle commutare.

29 Simonia Juris Ecclesiastici est, quæ solo Jure Ecclesiastico est prohibita, committiturque, licet non detur spirituale pro temporali; sed quando res spiritualis, vel spirituali annexa commutatur pro alia re spirituali, vel spirituali annexa, qualis committitur, si duo propria autoritate permurent beneficia Ec-

clesiastica, vel transigant super lite beneficii. *c. 5. c. 7. de Rer. permutat. c. 4. de Transactio.* Similiter, committitur etiam, quando res temporalis, pro re temporali, permutatur, prohibente hoc Ecclesia ex motivo Religionis, & reverentiæ rebus sacris debite, ut accidit, quando emuntur, vel venduntur officia ad administrationem, vel defensionem rerum temporalium Ecclesiæ ordinata, ut sunt officia Æconomi, Thesaurarii, Sacristæ & similia. *c. 38. b. t. quod corroboratur ex propositione 22. damnata ab Alex. VII. ibi: Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens ea beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* Ex hac divisione venit, quod simonia Ecclesiastica dispensari potest etiam, quoad culpam per R. Pontificem, & per consuetudinem, quæ non sit specialitèr reprobata. *c. 42. b. t.* nam ea dispensatio fit, quod illa pæctio in illo casu non sit simonia. *Suar. L. 4. de Simon. cap. 61.* nulla tamen consuetudo, nec dispensatio Apostolica potest excusare peccatum, quod in simonia Juris naturalis, & Divini committitur in venditione rei intrinsecè spiritualis, nam inferior nequit in Legge superioris dispensare. *c. 16. de Major. & obed.* Quando res, quæ venditur est tantum extrinsecè spiritualis in se tamen temporalis est, cum Pontifex possit dissolvere illam connexionem, quam cum re spirituali habet, potest consequenter in ea dispensare, secus consuetudo, quia de ea non constat, quod possit talem connexionem dissolvere; *arg. c. fin. de Consuetudine.*

30 Simonia alia est mentalis, alia conventionalis, alia realis. Mentalis non est illa, quæ præcisè in mente retinetur, nam talis potius interna, potest vocari sed est illa, quæ aliquomodo in actum externum prodit, nullo pacto interposito. V. g. si res spiritualis in compensationem temporalis datur, vel hæc propter rem spirituales acceptam, quasi ex debito, vel motivo conferendi detur præva intentione, animo retenta. Et probatur ex proposito. 45. inter damnatos ab *Innoc. XI. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed duntaxat tamquam motum conferendi, vel efficiendi spirituales, vel etiam quando temporale sic,*

*solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 41.* Conventionalis autem est quando pactum expressum, vel tacitum de dando temporali pro spirituali, vel spirituali pro temporali intervenit: nec sufficit sola promissio, si non acceptetur, quia adhuc non datur pactum, quod est duorum, plurimumve in idem placitum consensus. *L. 1. §. 2. ff. de Pact.* Si ex neutra parte sit sequuta traditio dicitur simonia conventionalis pura; si ex alterutra parte sequuta sit traditio, vel mercis, vel pretii, dicitur mixta: si merx, & pretium traditum sit ab utraque parte, vel pars pretii, dicitur realis. *Suar. de Simon. lib. 4. cap. 41. n. 4. Gonzal. in cap. 12. b. t. n. 3.*

31 Simonia confidentialis à Pio IV. in *Const. Romanum 7. Kal. Nov. 1564.* & S. Pio V. in *Const. Intolerabilis, Kal. Jun. 1569.* prohibita, committitur, si quis sine expressa licentia Pontificis beneficium Ecclesiasticum alicui procurer, eligendo, instituendo, conferendo, resignando, & cum certa confidentia, ut ille cui procuratur, postea illud resignet, vel ipsi conferenti, vel alteri, vel pensiones, aut fructus ex eo alteri præstet. Triplici modo hæc simonia committitur 1. per accessum. V. g. si aliquis cupiens beneficium dari Titio nondum habenti ætatem legitimam, illud confert Cajo, cum pacto, ut eo fruatur, donec Titius habeat ætatem, sed cum eam habuerit, illi resignet, & ipse propria autoritate illud apprehendere valeat. 2. per ingressum. V. g. si Titius beneficium sibi collatum, nondum tamen possessum resignet Cajo, eo pacto, ut quodcumque illud, vel morte, vel dimissione valet, ipse Titius, jus habeat illud ingrediendi: 3. per regressum. V. g. si Titius beneficium jam possessum Cajo resignet, sibi jus ad illud redeundi reservando, si Cajus præmortuus fuerit, vel aliter illud dimittat. Ideo enim tales collationes, & resignationes prohibentur, quia præbent spem successione hæreditariæ Sacris Canonibus odiosæ, quatenus ansam mortis alienæ captandæ præbet. Si resignans, vel conferens tantum speret sine animo obligandi, quod is, cui beneficium procuravit, illud resignavit sibi, vel amico, vel consanguineo, non committitur simonia; quia non datur voluntas emendi, vel vendendi. *Suarez, de Simon. lib. 4. cap. 43.* Si resignans, vel conferens habuit intentionem obligandi alterum, &

hæc aliquo signo externo fuit expressa, licet alter nihil paciscatur, vel reprobmittat, erit simonia confidentialis. Si talis intentio nullo signo externo fuit expressa erit simonia mentalis, non confidentialis. *Suar. de Censur. D. 22. sect. 6. n. 15. & alii*, si his modis procuretur pensio, vel aliud jus, quod propriè non sit beneficium, non committitur simonia confidentialis: siquidem Constitutiones Pontificiæ solum de beneficio loquuntur, & cum sint odiosæ non debent extendi; *arg. cap. 15. de Reg. jur. in 6.* Et eadem ratione, cum dicat constitutiones tantum de cessione, & resignatione beneficiorum loquantur, non sunt extendendæ ad ipsorum permutationem. *Suar. de Simon. lib. 4. cap. 43. n. 11.*

32 Simonia est peccatum grave oppositum virtuti Religionis, ac proinde sacrilegium: siquidem per eam indignè, & irreligiousè tractatur, & profanatur, res spiritualis, & sacra; cum pretio temporali æstimentur, quæ omne pretium superant. *Suarez, de Simon. lib. 4. cap. 3.* Hinc spirituale pro spirituali potest dari absque simonia; v. g. reliquiæ cum reliquis, vasa, vestes sacra, & aliæ functiones spirituales, cum aliis similibus possunt commutari, ut contra *Ricard. & Paul. tenent Suar. lib. 4. de Simon. cap. 30.* Beneficia tamen Ecclesiastica ex dispositione juris nequeunt cum aliis commutari, nisi superioris autoritate interposita, *cap. 5. & 7. de Rer. permut.* Simoniæ peccatum, nec ex parvitate materiæ potest esse veniale, quia res sacra, quantumcumque modica, est nihilominus donum Dei, & altioris ordinis, quam quævis res temporalis. Indeque semper indignè tractatur, eam pretio temporali æquiparando, & quanto hoc minus est, major est injuria, & vilipendio; potest tamen accidere, quod ex parvitate pretii præsumat illud datum esse merè liberalitèr, & non ex pacto pro re spirituali, ut in specie *Text. in cap. 18. b. t. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 33.*

33 Nomine emptionis, & venditionis in simonia venit, quicumque contractus, vel pactum onerosum expressum, vel tacitum dandi (etiam ex una parte tantum inchoatum, ut in casu Simonis Magi) aliquid temporale pro spirituali, tamquam pretium pro merce: ut emptio, venditio, locatio, transactio, permutatio, contractus innominatus, electio, presentatio, confirmatio, renuntiatio, &c. imò, & omissio alicujus actus spiritualis, si

si pro pretio fiat; arg. L. 29. §. 1. ff. de Statu liber. Gonz. in cap. 2. h. t. ex n. 13. Simonia est dare temporale pro spirituali, etiam quando spirituale non datur, tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, quia tunc quasi tacite paciscitur dans temporale, ut detur spirituale, & non aliter: ac proinde fit emptio pretio, palliam nomine motivi ad illudendas prohibitiones Canonicas, cap. 34. h. t. & etiam, quando temporale est solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra. Sic decisum est ab Innoc. XI. damnatione contraria prop. Ord. 45. Quia tunc fit contractus onerosus tacitus dandi temporale pro spirituali, mutaturque gratitudo, vel obligatio antidoralis in obligationem justitiæ, siquidem gratitudo in pactum deducitur, & quidquid ex pacto debetur, ex justitia debetur, Suarez, de Simon. lib. 4. cap. 45. n. 11. & alii com. Si verò qui spirituale accepit, suam obligationem antidoralem recognoscens promittat, se eam observare, non determinando gratitudinis genus, non committit simoniam, cum quilibet promittere possit id, ad quod Jure Naturali tenetur. Dare aliquid temporale, vel obsequium præstare absque ulla obligatione recipientis, sed solum sub spe, quod retribuantur aliquid spirituale; v. g. beneficium, ex gratitudine, & remuneratione, non est simonia, quia illud obsequium non habet rationem pretii, sed solum conciliat benevolentiam illius, qui beneficium est collaturus, Suarez, de Simonia, lib. 4. cap. 45. n. 4. sicut non est usura dare mutuum spe obtinendi à mutuario; non ex obligatione, sed ex gratitudine, aliquid ultra sortem. Nec simonia item committitur, etiamsi talis spes explicetur illi, qui daturus est beneficium, dumtamen absit omne pactum expressum, vel tacitum, & voluntas alterum obligandi. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 45. num. 8. & Innoc. XI. damnavit hanc propositionem Ord. 46. scilicet non esse simoniam, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sit ut illud pluris æstimeretur, quam res spiritualis, quod intelligendum est, quando dans, vel faciens spirituale propter temporale tamquam finem, intendit temporale tamquam pretium rei spiritualis, vel pactum, vel intentio intercedit dandi spirituale propter temporale, ita ut plus temporale, quam spirituale æstimeretur. Si verò

non interveniat pactum, vel intentio dandi spirituale propter temporale, nec hoc intendatur tamquam pretium rei spiritualis, sed ob aliam justam causam; v. g. ex gratitudine, vel titulo stipendii ad sustentationem operantis, vel dantis spirituale, non erit simonia.

34 Qui ex gratitudine, ad satisfaciendum obligationi antidorali confert, vel præsentat ad beneficium Ecclesiasticum benefactorem temporalem, modo gratis, & sine pacto fiat, non committit simoniam: etiamsi conferens, vel præsentans suam intentionem Clerico significet, siquidem, quod datur ad satisfaciendum obligationi antidorali, non datur ut pretium: nam gratitudo non datur, sed affectum respicit, & solet conferri absque vilipendio, quod longe nobilius est, quam acceptum. Nav. in Man. cap. 23. n. 106. Sic Deus dat bona temporalia ob opera virtutis: pauperes pro benefactoribus orant, & Religiosi Missas, & Orationes pro fundatoribus offerunt. Dare alicui beneficium intuitu solius consanguinitatis, vel amicitia licet possit esse peccatum, si non conferatur digniori, non tamen erit simonia: quia cum nihil in compensationem collator accipit, illud omnino gratis confert. D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 37. n. 6. Nec est simonia donatio mere gratuita facta sine pacto expresso, vel tacito, vel animo donatarium obligandi ex justitia, ad dandum aliquid spirituale, præcipue si donum temporale detur post acceptum spirituale; arg. cap. 18. h. t. cap. 4. 1. q. 2. Gonzal. in cap. 1. h. t. n. 8. siquidem tunc illud temporale non habet rationem pretii: quando verò donum temporale dationem spiritualem præcedit in foro externo præsumitur intentio simoniaca: quia munera animos excæcant, & cogunt: hinc etiam in foro interno hoc est cavendum, saltem propter scandalum, & inconvenientia, quæ possunt sequi. Et licet compensatio gratuita inducat simoniam, juxta propositionem 45. ab Innoc. XI. damnatam, secus donatio gratuita: nam compensatio gratuita facta ex gratitudine in pactum deducta, ratione pacti obligationem justitiæ inducit: secus donatio gratuita, quæ nempe à mera liberalitate procedit. Aliquando jus prohibet, etiam sponte oblata accipere: sic Trid. sess. 21. de Ref. cap. 1. prohibet, ne pro collatione ordinum, etiam primæ tonsuræ, & pro literis Dimissoris, &c. aliquid, etiam gra-

gratis, & sponte oblatum accipiatur ab Episcopis, vel aliis collatoribus, quocumque prætextu, sed tunc accipiens non committit simoniam, licet contra talem legem peccaret, vel saltem hoc est prohibendum, ut omnis simonia suspicio vietur. Gonz. in cap. 1. h. t. n. 8.

35 Non est simonia aliquid dare, legare, vel promittere sub conditione, vel modo rei, vel operis spiritualis: siquidem tunc non intervenit contractus onerosus obligationem absolutam imponens, sed quod datur, impleta conditione, adhuc gratis datur: nec habet rationem pretii motivi, vel finis, sed tantum remunerationis liberalis operis, spiritualis exerciti in gratiam dantis, ut patet in fundationibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum, in quibus omnibus proventus temporales assignantur sub conditione operis pii, & spiritualis: sic Catholicus potest infideli præmium offerre, si se convertat ad fidem, vel baptismum suscipiat, & puella hæretico potest nuptias, si sum errorem detesteatur promittere: parentes suis filiis aliquid donant, si Sacramenta frequentent, vel si Religiosi fiant: fundatores Ecclesiæ legant, ut pro se, & suis familiis fiat anniversarium, cap. 12. de Restit. spoliatorum, cap. fin. de Testam. cap. 31. de Verb. signific. cap. 4. de Condit. apposit. Clem. Dudum 2. de Sepulchris. Suarez de Simon. cap. 39. n. 18. simonia tamen foret, si obligatio absoluta alicui imponeretur, ut pro re temporali opus spirituale faceret. Ex Textu sic intelligendo in cap. 2. 1. q. 2. ibi: Numquam enim legitimus Dominus Discipulus, vel eorum ministerio conversus quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interventu provocasse.

36 Clerici ministrantes spiritualia possunt recipere, & petere stipendium sustentationis Jure Naturali, & ex justitia debitum. Ex Matth. 10. v. 10. ibi: Dignus est operarius cibo suo. 1. Cor. 9. v. 7. Quis militat suis stipendiis unquam? possuntque pacisci, & convenire de hac congrua sustentatione, antequam obligationem administrandi spiritualia in se suscipiat; dummodo quantitatem Lege, vel consuetudine taxatam non excedant, cap. 42. h. t. & absit turpe pactum, quo res temporalis, tamquam pretium sumeretur, vel spem avaritiæ præferat, cap. 2. cap. 3. cap. 4. 1. q. 2. cap. 36. cap. 41. h. t. sic contra Ricard. Sylv. & Hostiens. tenent Gloss. in cap. 11. de Præb. V. Ita quod Suar. de Simon. lib. 4. cap. 36. n. 3. & cap. 46. Tom. II.

num. 4. Similiter possunt stipendium congruæ sustentationis accipere Clerici, etiamsi per accidens, eo non indigeant, quia sunt divites: nam hoc non tollit, quod illud ex justitia debeat, non tamquam pretium rei spiritualis, sed tamquam justum stipendium sustentationis debitum, cap. fin. 1. q. 2. D. Thom. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 46. n. 7. secus est in Parocho, vel alio ex obligatione sui officii ministrante spiritualia: nam si his sufficiens sit sustentatio ex decimis, vel aliis fructibus, contra justitiam novum stipendium petunt, vel de eo paciscuntur: nam cum illud opus spirituale ex justitia, ratione stipendii, & officii facere teneantur, deest titulus legitimus novum stipendium exigendi. D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 3. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 46. n. 9. potest tamen tolerari consuetudo dandi aliquid moderatum Parochis pro missis, sepultura, assistentia matrimonialis, vel Sacramentorum administratione: si exactio sit moderata, juxta taxam approbatam ab Episcopis, & Parochus paratus sit, etiamsi nihil detur administrare; arg. cap. 42. h. t. & ibidem Barb. n. 17. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 14. quia potius pro sustentatione ministrantis quam pro pretio operis datur, nec debet reprobari hac consuetudo, etiamsi Parochus habeat congruam sustentationem, nam hi redditus, quos stolæ vocant in locum decimarum personalium, & altarum, quæ per desuetudinem sublatae sunt, successisse videntur.

37 Non potest quis accipere aliquid temporale, pro ipso labore intrinseco rei spiritualis, nam cum non habeat æstimationem, ab ipso opere distinctam, simoniam committeret, nam pretium acciperetur pro ipsis officiis Ecclesiasticis, ut sunt prædicatio verbi Divini, orationes, quæ in choro, vel processionibus, & ex justitia debentur, cap. 21. h. t. quia cum hæc omnia ad finem supernaturalem ordinantur gratis sunt danda. Matth. 10. v. 8. Suar. lib. 4. de Simon. cap. 15. num. 3. Pro labore tamen extrinseco rei spiritualis, bene potest aliquid accipi, si aliunde non sit debitus ex officio, fundatione, vel contractu; sic nihil potest accipi pro labore adhibito in celebratione ordinum, Missæ, &c. quia ipsis actionibus intrinsecus, & ab eo est inseparabilis: potest tamen accipi pro labore expectandi certam horam, vel iter faciendi; dummodo stipendium statuto, vel consuetudine, vel aliter justum non ex-

cedatur, siquidem talis labor extrinsecus ipsis actionibus est, & ab eis separabilis. Parochus tamen, quia ex officio tenetur ad talem laborem, nihil potest pro eo accipere. *Soto de Just. lib. 9. q. 6. art. 1. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 29. n. 15. & Barb. in cap. 29. h. t. n. 5.* potest etiam quis pauperibus, vel Religiosis, ut pro se orent pecuniam dare, non ut pretium orationis, sed per modum elemosynæ, vel etiam stipendii (maximè, si oratio diuturna est) ad congruam sustentationem. *Suar. de Simon. lib. 4. cap. 15. n. 9.* Etiam est simonia si Sempronius; v. g. aliquid temporale det, vel promittat Titio, ut suis precibus, intercessione, vel commendatione consequatur à Cajo beneficium conferendum Sempronio, etiam si ipse Cajus, qui est collaturus, vel præsentaturus ad beneficium nihil præcipiat. Siquidem emens preces censetur collationem emere, in ordine ad quam preces æstimat, tanquam causam moralem. *D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 53. n. 14.* non tamen esset simonia aliquid his Ministris, vel intercessoribus dare, non pro ipsis precibus; sed pro labore, in eundo, & redeundo, vel pro litteras, aut supplicem libellum scribendo, vel pro damno emergente, vel lucro cessante.

38 Materia simoniæ constat ex merce, & pretio. Merx in hac impia, & sacrilegia negotiatione, est res spiritualis, vel spirituali annexa; nomine rei spiritualis in hac materia non sumitur res incorporea, ut Deus, Angelus, anima rationalis, jus venandi fama, &c. sed quod aliquomodo supernaturale est, & ordinatum à Deo, vel Ecclesia ad salutem spiritualem animæ, & nullis naturæ viribus potest adquiri. *Suar. de Simon. lib. 4. cap. 8. n. 6.* Spiritualia ergo variis modis dicuntur 1. *formaliter*, & *per se*, ac per suam essentiam, ut gratia sanctificans, virtutes Theologicæ, & morales infusæ character Sacramentalis, gratiæ gratis datæ, &c. Has res vendere, vel emere simonia est, non solum si secundum se, & quasi in abstracto vendantur, quem admodum Simon Magus voluit Spiritum Sanctum emere ad lucrum, & ejus venditione captandum. *Act. 8.* Sed etiam si non secundum se, sed quasi in concreto vendantur; v. g. Si quis Captivum carius venderet, quia Christianum, vel Sacerdotem. *Suar. lib. 4. de Simon. cap. 9. n. 9. 2. Causaliter*: quia causæ sunt gratiæ, & aliorum donorum prioris generis, ut Sa-

cramenta, Sacramentalia, & officia Ecclesiastica ordinata ad effectum supernaturalem. 3. *Efectivè*: quia sunt effectus, qui à gratia, vel dono spirituali procedunt; v. g. ordinare, prædicare, baptizare, patrare miracula, prophettare, celebrare Officium Divinum, & alia hujusmodi.

39 Sacramenta secundum se, & quantum gratiam conferunt non possunt vendi, quia licet hæc in aliquibus actionibus consistant, sunt tamen dona Divina, & supernaturalia à Christo Domino collata, ad gratiam supernaturalem conferendam. *cap. 9. cap. 14. cap. 29. h. t. l. 1. tit. 17. p. 1.* In matrimonio tamen cum ratio Sacramenti non immutat naturam contractus, possunt aliqua pecuniæ dari, & accipi, ad compensandam inæqualitatem; v. g. in nobilitate, inter sponsam, & sponsam, & à fortiori, ratione dotis, vel donationis, propter nuptias, vel arrum, ut sic onera matrimonii sustententur. *L. 1. tit. 17. p. 1. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 10. n. 11. & Barb. in cap. 9. h. t. n. 4.* Materia remota Sacramentorum; v. g. panis, & vinum in Eucharistia, Oleum in Unctione, &c. potest emi, & vendi: siquidem quid temporale est, si non sequatur scandalum, nec Lex prohibeat, nec obligatio ea ministrandi detur. Materia vero proxima, scilicet illa actio, qua applicatur materia remota, vel illa actio, qua pronuntiatur forma, vendi non potest, siquidem tales actiones non sunt naturales, sed supernaturales ordinatæ ex Christi institutione ad gratiam supernaturalem conferendam. *Suar. de Simon. l. 4. cap. 11.* Res consecrata, vel benedicta; v. g. Calix aureus consecratus vendi potest præcisè pro materiæ pretio, siquidem per consecrationem non amittit talis materia suam æstimationem, & valorem. *L. 1. tit. 17. p. 1. D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. ad 1. 2. & 3. Et in 4. D. 25. q. 3. art. 2. q. 3. Nav. Man. cap. 23. à n. 108. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 14. n. 6. Gonzal. in cap. 12. h. t. n. 8. contra Abb. & alios.* Ita tamen, ut propter benedictionem, vel consecrationem, non augeatur pretium rei, ultra suum valorem, vel sumptus in ea asportanda, quia sic consecratio, vel benedictio vendi censeretur, quod esset simoniacum: eum tales res sint sanctæ, tum ratione principii, quia potestatem supernaturalem à Christo Ecclesiæ concessa sunt instituta, tum ratione finis, ad quem ordinantur, qui supernaturalis est, & ad

salutem animarum conducens. Et sic debent intelligi *Text. in c. 7. l. 1. q. 3. c. 105. l. 1. q. 1. c. 8. h. t. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 14. n. 13.* Si tamen vasa Calices & ornamenta consecrata, vel benedicta Laicis ad usus profanos vendantur, atqueam tradantur debent confari, infringi, vel dissui. *Auth. Praterà, C. de Sacram. Eccles. Nihil potest dari pro patratione miraculi, vel prophetia, vel aliis gratis gratis datis, nam hac ratione gratis etiam dari debent. Matth. 10. v. 8. L. 1. tit. 17. p. 1.*

40 Etiam sunt materia simoniæ actus ordinum. *c. 1. c. 8. c. 9. c. 21. c. 29. h. t.* non solum si sint Ordinis Pontificalis, ut confirmatio, consecratio, ordinatio, sed etiam Ordinis Sacerdotalis, quin & Minorum Ordinum, non solum si tales actus à constitutis in Minoribus Ordinibus fiant, sed etiam si exercentur à Laicis; quia suam cooperationem cum ministerio sacro conjungentes cum debita reverentia debent exhibere. *D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 13. & 14. pro munere Ostiarum, & potius pro munere Cantoris pretium accipi potest. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 14. n. 8.* Ordinans, & ejus Ministri nihil possunt ex pacto accipere pro litteris dimissoriis, vel testimonialibus ordinum, quia gratis debent dari, sicut principale, cuius naturam sequuntur. Notarii, ubi non habent salarium, nec viget consuetudo nihil accipiendi, pro singulis dimissoriis, vel testimonialibus decimam partem unius aurei, id est ducatus, possunt accipere. *Gonz. in c. 1. h. t. n. 6.* & licet Jure Communi possent accipere Ordinarii aliquid spontè oblatum, si modicum esset, & ex intervallo daretur. *c. 18. c. 30. h. t.* Hodie ad omnem suspicionem & prætextum tollendum, nec gratis oblatum pro collatione ordinum, vel dimissoriis, vel testimonialibus potest accipi sub excommunicationis poena respectu accipientis, & suspensionis, ab officio, & executione ordinum, respectu ordinatum. *Trid. sess. 21. de Reform. cap. 1.* Si tamen verè spontè daretur, non esset simonia; imò prædicta constitutio Trid. in pluribus locis non est recepta.

41 Quando pro exercenda jurisdictione spirituali, sive in foro interno, sive in externo, aliquid temporale datur, committitur simonia, siquidem ea potestas ad finem supernaturalem ordinatur. *c. 124. l. 1. q. 1. c. 14. c. 24. h. t. Suar. lib. 4. de Simon. cap. 19. Casrop. tr. 19. Tom. II.*

*D. 3. p. 12. & alii com.* Sic est simonia aliquid dare, vel accipere pro confessione audiendo, pro absolutione danda, vel neganda, vel pro absolutione à censuris, vel concessione indulgentiarum, pro dispensando in voto, essu carniarum; festi observatione vel impediendo matrimonii. *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 5. & sess. 25. de Ref. cap. 18.* Aliquando in Romana Curia aliquid exigitur; non pro ipsa dispensatione, sed pro sustentatione Officialium Curie, vel pro mutatione voti in illam elemosynam, vel ad aliquid opus pium applicandam. Episcopus potest in dispensatione voti, festi observatione, & similibus elemosynam per modum commutationis imponere; sed non debet eam sibi ipsi applicare, sed alicui operi pio. Nullus tamen Prælati inferiori Papa, potest, etiam titulo sustentationis, hujusmodi exactiones in dispensationibus facere. *Trid. sess. 24. de Reform. Matr. cap. 5. Et sess. 25. de Ref. cap. 18. Suar. lib. 4. de Simon. cap. 20. n. 14.* Prælati, qui aliquid temporale accipit, ut actum aliquem, etiam circa materiam temporalem, & politicam, jurisdictionis Ecclesiasticæ sive voluntariæ, sive contentiosæ exerceat, simoniam committit, quia talis jurisdictio provenit à potestate spirituali gratis data, ac proinde gratis exercenda. *c. 10. de Vita, & honest. Cler. Suar. lib. 4. de Simon. c. 20. n. 19.* Si verò talis actus provenerit à potestate temporalis, quam alias habet Prælati Ecclesiasticus, ut Pontifex in suo territorio temporali, & alii Hispaniæ Episcopi, cum non proveniat à potestate spirituali, non esset materia simoniæ. *Suar. lib. 4. de Simon. c. 20. n. 17.*

42 Nihil potest accipi pro admissione ad novitatum, vel professionem religiosam, cum à potestate spirituali talis actus proveniat, & ad charitatis perfectionem, & animæ salutem ordinetur. *c. 8. c. 9. c. 25. c. 40. h. t. Suar. lib. 4. de Simon. cap. 17. n. 4. & 5. Gonz. in c. 18. h. t. n. 3.* potest tamen accipi, si quid spontè detur ab ingresso, vel pro congrua sustentatione ingressuri quando Monasterium indiget; *arg. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 16. D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.* sed nihil plus potest accipi prætextu paupertatis Monasterii. *c. 4. h. t.* Titulo dotis potest aliquid à Monialibus accipi, etiam si Monasterium non indigeat, universali consuetudine, variisque decisionibus hoc probantibus. Nihil potest dari pro beneficii Ecclesiastici, vel

dignitatis collatione, siue fiat per praedicationem, siue per electionem, vel institutionem, cum ordinentur ad spiritualium administrationem. *c. 9. c. 11. c. 22. c. 36. c. 41.* nec potest pretium accipi pro omissione actuum spiritualium. V. g. pro neganda approbatione pro ordinibus, vel absolute pro peccatis, vel à censuris, & aliis hujusmodi. *Text. in c. 14. h. t.* nam tunc omisso rei debita commissio comparatur; *arg. L. 121. ff. de Reg. jur.* Si verò actus, qui omittuntur à potestate spirituali sint omnino independentes, tunc enim certè eorum omisio pretio impetrata simoniaca non est, licet aliunde sit pecaminosa. *Suarez de Simon. lib. 4. c. 22. n. 11.*

43 Eriam sunt materia simoniae res spiritualibus annexae: illae scilicet, quae licet in se non sint spirituales, habent tamen cum rebus spiritualibus connexionem, & quidem tribus modis, rebus spiritualibus possunt connecti. 1. *Antecedentè*; quando tanquam causa, vel aliquid praesuppositum, ad aliquid spirituale ordinantur; v. g. Calices, Altaria, Tempia, aliaeque res sacrae, & benedicta, ut rosaria, numismata, & alia, quae ad sacrificium Missae, vel devotionem referuntur, ut jus patronatus, & jus eligendi, quae ad beneficium, & officium Ecclesiasticum ordinantur, & sic ad finem spirituales. 2. *Concomitantè*: quia scilicet, rebus spiritualibus sunt conjuncta, ut est labor corporalis, qui in ipsa actione, ministerio, vel functione spirituali subitur; v. g. in ipsa sacrificio, praedicatione verbi Divini, Sacramentorum administratione, &c. 3. *Consequentè*. Ille scilicet, quae spirituale supponunt, tanquam causam. Sic jus percipiendi decimas, oblationes, & primicias, beneficia Ecclesiastica, & pensiones praesupponunt officium, & ministerium spirituale. Jus patronatus quod Laici habent, licet transeat ad haereditas, cum haereditate; imò ad emptorem Castrì; v. g. cui est annexum, tanquam quid accessorium, non tamen potest per se, & principalitèr, sine simonia, vendi. *c. 16. de Jur. pater. c. 9. de Transact. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9.* Et licet ab Ecclesia sit inventum, ejus venditio non solum esset simoniaca Jure Ecclesiastico, ut hac ratione defendunt *Nauarr. Man. cap. 23. n. 98. Sor. de Just. lib. 9. q. 7. art. & alii.* sed etiam Jure Divino, quia supposita connexionem, quam jus patronatus habet, cum potestate spirituali, à qua, si-

cut beneficia, institutum est, & cum sine spirituali, scilicet cum institutione Clerici in beneficio, est magna irreverentia illud pretio temporali aestimare. *Suar. de Simon. lib. 4. c. 28. n. 7.*

44 Præterea sepultura, quatenus est locus benedictus, & Ecclesia auctoritate ad fidelium sepulcrum deputatus, nequit vendi. *c. 13. de Sepult. c. 9. & 41. h. t.* Si verò quis habeat sepulchrum proprium, illud vendere potest, præcisè juxta valorem fundi, & expensarum, quae facta fuerunt in ejus constructione, sicut Calix præcisè juxta ejus materiam potest vendi. *D. Thom. 2. 2. q. 106. art. 4. ad 3.* Item potest aliquid exigi pro fabrica conservanda, & Ministris sepulturae ædendis, pro obligatione non admittendi in tali loco, nisi eos, qui sunt ex certa familia, vel pro loco eminentiori, & honoratori sine respectu ad ejus sanctitatem, sic testante consuetudine, quae non est damnanda, imò expresse approbatur in *L. 15. tit. 17. p. 1. Suar. de Sim. lib. 4. cap. 14. n. 21. Barb. de Offic. Paroch. cap. 26. ex n. 16. Gonz. in c. 13. de Sepult. n. 2.* Fructus beneficii jam percepti, imò eorum commoditas vendi, & locari, à beneficiario potest, antequam eos percipiat, quia quid merè temporale sunt. *c. 2. de Locat. lib. 9. tit. 17. p. 1.* sic potest beneficiarius pecunia redimere, non solum pensiones merè temporales, sed & mixtas, quae habent annexum opus spirituale, dum tamen pensionarius maneat ad opus spirituale ligatus, quia hæc libertas à pensionibus solvendis non est quid spirituale, nec beneficiarius aliud facit, quam pretio anticipato emere fructus, quos quotannis posset pensionarius vendere. *Suar. lib. 4. de Sim. cap. 26.* sed in hoc casu requiritur Pontificis licentiam tenent *Garr. de Benef. p. 1. cap. 5. & alii, quod negant Tolet. in Sum. lib. 5. cap. 29. & alii.* Similiter Vicarius perpetuus potest à monasterio, cui ejus Parochia est incorporata cum onere certæ pensionis, eam redimere: quia tunc fit gratia vicario, ut una solutione se liberet à pensione annua: secus esset, si Vicario onus, eam redimendi imponeretur: nam tale pactum esset simoniacum saltem Jure Ecclesiastico. *Suar. lib. 4. de Simon. cap. 26. n. 20.* Beneficium vero, quatenus est jus administrandi spiritualia, non potest absque simonia Juris Naturalis vendi, quia hoc jus est aliquid in se sacrum, & spirituale, atque à Christo institutum, imò nec beneficium, qua-

tenus est jus fructus percipiendi potest pro re temporali vendi. *c. 4. c. 6. de Pact. c. 7. de Transact. c. 15. c. 34. h. t.* quia licet jus percipiendi fructus sit annexum ex Ecclesiae institutione juri spirituali, tamen ex suppositione, quod, & dum est annexum, spiritualitatem induit, cui gravis irreverentia fit, si cum temporali commutetur, & per consequens non solum jure Ecclesiastico erit simonia illud vendere, ut tenent *Nau. Man. cap. 23. num. 108. Garr. de Benefic. 1. part. c. 2. num. 9. L. 2. c. 35. num. 26.* sed etiam Jure Naturali, & Divino. *Suar. L. 4. de Simon. cap. 24. ex num. 7. Gonz. in c. 8. h. t. n. 5. Cajet. Soto, & alii.* Idem proportione debita dicendum est de Cappellanis, commendis, præstimonis, Hospitalibus, & pensionibus: nam si nihil spirituale continent, sed quid merè temporale, vendi possunt, secus si aliquam spiritualitatem ratione connexionis habeat. Sic commendae ordinum militarium *D. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c.* quae præcisè in præmium, vel stipendium militiae conferuntur, vendi possunt: secus commendae S. Joannis Hierosolymitani, & aliae, quae saltem beneficiis manualibus accensentur. *Suar. L. 4. de Simon. cap. 26.* Pro coadjutoris, etiam cum jure successione posse temporale pretium dari, si hoc tanquam stipendium eam concedentis detur, tenent *Castrop. tr. 17. D. 3. p. 13. n. 4.* sed negat *Suar. L. 4. cap. 27. n. 5.* etiamsi talis coadjutoria detur sine jure succedendi, quia est quasi Vicarius coadjuti, ac proinde tenetur Divina officia obire; *arg. c. 8. c. 21. h. t.*

45 Cum in simonia contractus onerosus, & utrimque obligatorius reperitur, debet intercedere pretium temporale, cujus nomine venit non solum pecunia, ut in emptione. *L. 1. ff. de Contr. empt.* sed quæcumque res temporalis pretio aestimabilis, & utilitatem temporalem afferens. Hoc pretium licet verè, & propriè sit debitum ex justitia commutativa, dicitur munus in Jure Canonico: & est triplex, consistitque in dono, facto, & verbo. *L. 3. tit. 17. p. 1.* quod jam communiter appellatur, *munus à manu munus ab obsequio, munus à lingua.* *c. 113. c. 114. 1. q. 1.* Munus, quodcumque temporale censetur habere rationem pretii in foro externo, si pactum intercedat, & non detur major ratio illud à simonia excusans; v. g. redemptio vexationis, compensatio laboris extrinseci,

&c. Si detur munus temporale ante receptionem rei spiritualis, vel immediatè post illam pretium censetur: nam tunc non praesumitur liberalitas. *c. 104. 1. q. 1.* si ex intervallo detur, ex liberalitate, & gratitudine praesumitur oriri. *c. 2. c. 4. 1. q. 2.* & quidem simonia committitur, si munus magni pretii sit, attenda persona dantis, vel accipientis, ita ut verè rei spiritualis pretium credatur, si vero modici pretii sit, pro nihilo reputatur. Aliquando dationem muneris potest excusare consanguinitas, amicitia, nobilitas, & honestas personarum. *Suar. lib. 4. de Sim. cap. 36.* In foro conscientiae depositionis poenitentis statuitur. *Munus à manu* appellatur quæcumque res temporalis, corporalis, vel incorporalis, pretio aestimabilis: ut pecunia, jura, census, pensiones, pecunia mutuata, debiti solutio, dilatio solutionis, remissio debiti, promissio remissionis & alia hujusmodi. *c. 18. c. 34. c. 36. c. 45. h. t. L. 3. tit. 17. p. 1.* *Munus ab obsequio* sunt quæcumque temporalia obsequia; vel servitia: v. g. famularatus, negotiorum administratio, & similia, si hæc ex pacto, & obligatione spirituale obtinendi fiant. *c. 12. h. t. L. 3. tit. 17. p. 1.* Si obsequium purè fiat, & sine conditione, & pacto, vel animo alium obligandi ad rem spirituales dandam: maxime si post rei spiritualis exhibitionem munus, vel obsequium praestetur, non habet rationem pretii: nam tunc liberè, & gratis praestatur, ac proinde rei spiritualis collatio non erit simoniaca. *c. 2. c. 13. 1. q. 2. c. 18. c. 34. h. t.* *Munus à lingua*, sunt laudes, preces, & intercessiones, quae ab aliquo interponuntur, sub pacto, saltem tacito, & animo obtinendi propter illas aliquid spirituale. V. g. si quis conferat beneficium Titio, ut hic apud Principem, vel alium pro collatore intercedat ad aliquid consequendum, etiam spirituale; nam cum hæc intercessio pretio aestimabilis sit, jam pro pretio temporali confertur beneficium. *c. 113. 1. q. 1. L. 3. tit. 17. p. 1.* ibi: *Tres maneras son porque los omnes facen simonia. La primera serviendo por sus cuerpos mismos. La segunda dando dadas, è presentes. La tercera se hace por palabras rogando.* Non est simonia apud collatorem, vel patronum intercedere, vel auferre recommendationem, ut beneficium conferat, etiamsi collator intuitu precum, & intercessionis conferat beneficium, etiam indigno; v. g. redemptio vexationis, compensatio laboris extrinseci,

consuetudine. *c. 121. c. 122. l. q. 1. c. 34. b. t. & expresse habetur in L. 4. tit. 17. p. 1.* Nec si rem spiritualement, beneficium conferat ob gravem metum injuste incusum. Vel si Episcopus conferat debitori suo beneficium, ut ab eo debitum consequi possit, non est simonia, si nulum pactum intercedat, quo novum onus debitori imponatur. *Suar. lib. 4. de Simon. cap. 37.*

46 Nec est simonia pactum adjicere, circa illud, quod jam jure inest; v. g. si à resignante apponatur pactum, ut resignatarius solvat debita nomine Ecclesie facta: nam hoc jure ipso inest. *c. 1. de Solution. nec nova obligatio imponitur.* Similiter cum habens beneficium incompatibile, necesse habeat cedere primum, ut obtineat secundum: tunc non erit simonia hanc cessionem in pactum deducere. Si verò primum beneficium compatibile sit cum secundo, esset simonia de ejus dimissione pacisci: si quidem ea haberet rationem pretii, quatenus nova obligatio, & onus resignanti imponeretur. Hac ratione simoniam committit Titius, qui vult beneficium, quod jam pacifice possidet, resignare sub pacto, & conditione, quod ipsi solvantur expensæ in prosecutione litis talis beneficii facta: nam jam non gratis beneficium conferretur, novaque obligatio, quæ ipso jure beneficio, non inest imponeretur. *Suar. lib. 4. de Simon. cap. 35. num. 24.*

47 Si Titius, qui habet aliquid jus adquisitum in beneficio, & quidem certum judicio communi peritorum: (non tamen est, necesse illud plenum esse) & aliquis injustè eum vexat, impediendo, quominus illud consequatur, potest pecunia redimere injustam vexationem, si ne simonia, quia daret temporale pro temporali, ut est vexationis redemptio. *c. 28. b. t. Gloss. ibid. V. Restituere. D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. Suar. lib. 4. de Simon. cap. 50.* Etiam si Titius nondum habeat jus adquisitum in re, si aliquis eum vexat, consecutionem impediendo, ita etiam ut solum possit nocere, non tamen prodesset valeat, potest Titius pecunia vexationem redimere, si quidem jus habet, nec injustè impediatur ab electione, confirmatione, institutione, &c. Si verò impediens, & vexans, non solum nocere possit, sed etiam prodesset: v. g. quia est elector, collator, patronus, &c. Tunc datio pecunie erit simoniaca: nam tunc virtualiter ipsam rem

spiritualement, vel beneficium emere censetur. *c. 23. b. t. D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. Suar. lib. 4. de Simon. cap. 50. n. 18.* Post plenum, & certum jus adquisitum in beneficio, quoad proprietatem, si quis impediatur possessionem accipere potest vexationem redimere, etiam ab eo, qui prodesset potest, in possessionem mittendo, quia possessio est, quid temporale. Si verò ipse elector non vexet formaliter: qua elector, hoc est negando suffragium, sed materialiter, & ut quilibet alius privatus; v. g. diffamando, vel colectores injustè ab electione avertendo, posset Titius absque simonia redimere pecunia hanc vexationem, quam non tenetur sustinere: imò habet jus, ne hoc modo impediatur. *Suar. lib. 4. de Simon. cap. 5. n. 28.* Quando verò vexatio non est injusta: v. g. si quis turberit, vel litem patiatur circa beneficium litigiosum, vel quia electio, vel presentatio est dubia, &c. non est proprie vexatio, ac proinde, non potest pecunia redimi: quia tunc jus quod non habet censetur acquirere, vel firmare. *Suar. lib. 4. de Simon. cap. 50. n. 11.* Sed etiam si vexatio sit injusta, non debet pecunia redimi, si alia via possit tolli: non quia committeretur simonia, sed quia ipse eam redimens cooperaretur alterius peccato dando pecuniam, quam alter accipere nequit potest etiam pecunia dari Electoribus, ne eligatur indignus, si aliter ejus electio nequit impediri, non tamen potest dari si exclusio indigni ad certæ personæ electionem dirigatur. *Suar. lib. 4. de Simon. cap. 50. n. 4.*

48 In causa simoniae solum cognoscit Judex Ecclesiasticus etiam si laicus sit: quia cum ex Jure Divino, & Ecclesiastico descendat ejus prohibitio, causa spiritualis censetur, & solum juxta Sacros Canones decidenda est. *L. 58. tit. 6. p. 1. & ibid. Gregor. Lop. Hrv. in Cur. Philip. 2. §. 2. n. 9.* Si crimen sit notorium notorietate facti, vel juris, quia jam de eo crimine est aliquis Laicus in foro Ecclesiastico condemnatus, potest etiam puniri à Judice Seculari. In hoc crimine potest accusare, & testificari quilibet, etiam servus, & criminus, dum tamen non sit Paganus, Hæreticus, vel inimicus capitalis: nam tantum hæ exceptiones admittuntur. *c. 3. c. 7. c. 31. b. t. Possunt accusari dans, & accipiens. c. 8. c. 30. b. t. Et ille, pro quo alius dedit, si dationem sciat, & in eam consentiat. c. 23. c. 33. b. t. secus si ignoret, vel*

vel repuat, *cap. 27. b. t.* Ob hujus criminis atrocitatem, & ejus difficilem probationem suffiunt ad condemnandum presumptionem, conjecturam, & signa: dum tamen ea sint evidentiâ, & plene probata: secus aliter, *cap. 6. b. t.* Ad hoc vitium simoniae abhorret Ecclesia, ut eam appellet crimen horribile, *cap. 9. b. t.* Ulcus cancerosum, turpissimum lucrum, lepram, pestem; imò, & hæresim. Ut sæpe in jure. *Et comm. DD.* non quia verè sit hæresis, cum sine intellectus judicio erroneo consistere possit, sed quatenus ejus immanitate hæresis venit comparanda: quia ut dicitur in *cap. fin. l. q. 7. Omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur.* Et ideo variis punitur poenis, *cap. 11. l. q. 1. ibi: Nam Spiritus Sancti donum pretio comparari, quid aliud est, quam capitale crimen, & simoniacæ hæresis? quod quam detestabiliter in utroque testamento vendicatum sit, multorum exemplis facile apparet.* Et quidem per solam simoniam realem, tam pretii, quam mercis traditione perfectam, incurrit quis poenas à jure in simoniacos statutas, quia quando in jure punitur simonia non fit mentio de pacto, sed de actionibus à pacto provenientibus, ut sunt pretii datio, & receptio, ordinatio, electio, confirmatio, *c. 3. l. q. 1. c. 8. c. 34. b. t. Extrav. 2. eod. int. com.* nec est necesse, totum pretium tradi, sat est, si pars tradatur: v. g. decem aurei, licet centum sint promissi, si tantum promissio fuit facta, secuta deinde traditione etiam, quoad partem quantitatis tantum, poenæ retrorahuntur ad tempus promissionis, vel conventionis, tanquam si ab initio conventionis esset plene facta traditio.

49 Qui commiserunt simoniam merè internam, & mentale solum incurrunnt poenam à Deo eterno Judice, & cordium scrutatore infligendam, & à Sacerdote in foro poenitentiae, non verò poenas simoniacis in jure statutas; nam talis simonia est occulta, quia merè interna, & in actu interno consistit: mentalis tamen licet in aliquem actum externum prorumpit, scilicet in receptionem rei temporalis, cum sine pacto fiat, non constat Ecclesia de intentione, ac proinde de ea judicare non valet, si quidem ut dicitur: de occultis non judicat Ecclesia, *cap. 33. b. t.* Nec juris, & facti poena incurritur per simoniam merè conventionalem, quando scilicet sistit in mero pacto, quin pretii, & mercis traditione

completatur, quia cum jura non de conventionem pura, sed de datione receptione, electione, & aliis actibus à conventionem provenientibus loquantur, non debet eorum poena, utpote odiosa ad conventionem extendi, *cap. 15. de Reg. jur. in 6.* Imò etiam si pretium sit traditum: nam adhuc non tractatur irreverenter spirituale: atramen sic delinquentes possunt Judicis arbitrio puniri, si spirituale; v. g. beneficium est traditum, etiam si pretium nondum sit receptum, quia jam spirituale irreverenter tractatur; poenas in simoniacos statutas incurri tenent. *Cajet. Sot. Garc. & alii ex cap. 27. cap. 45. b. t.* sed tales poenas non incurri dicendum est cum *Suar. & 3. DD.* quos suppresso nomine refert *Lac. L. 3. p. 1. n. 212.* quia cum hæc constitutio sit poenalis non est extendenda, *cap. 15. cap. 49. de Reg. jur. in 6.* Simonia conventionalis in Pontificis electione commissæ ob materiæ specialitatem specialiter punitur. Sed hoc non debet ad consequentiam trahi, Simonia tamen confidentialis punitur, & quidem gravius, quam alia, quia plures fraudes continet, & speciem successionis hereditariæ habet.

50 Ordinans simoniacè, vel presentans ad ordines. 1. Incurrit ipsofacto excommunicationem Pontifici reservatam, à qua etiam delictum sit occultum solus Pontifex potest absolvere. *Extr. cum detestabile 2. b. t. int. com. Sixtus V. in Const. Sanctum, ann. 1588. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 56. n. 10. & 15. 2.* Ipso jure suspenditur à cujuscumque ordinis, etiam prima tonsura, collatione, & executione omne munus Pontificalium, *cap. 45. b. t. Extr. 2. eod. int. com. 3.* Interdicitur ei ingressus Ecclesie, & si interdicitur violet, irregularis fit, & suspenditur à regimine, & administratione suæ Ecclesie, & à fructibus suorum beneficiorum percipiendis Episcopus, qui post ordinationem aliquid spontè collatum accipit, etiam si forte peccet contra *Trid. sess. 21. de Reform. cap. 1.* non incurrit excommunicationem, si quidem in Trid. non exprimitur, nec eam incurrit Notarius, vel alii Ministri, etiam si pro literis Dimissoriis aliquid accipiant contra *Trid. sess. 21. de Reform. cap. 1.* Ordinatus, 1. incurrit excommunicationem Pontifici reservatam. 2. Ab executione ordinis simoniacè accepti suspenditur; imò & aliorum, etiam non susceptorum simoniacè, ille verò, qui simoniacè est promotus, sine sua tamen culpa, quia alius;

alius: v. g. pecuniam pro illius ordinatione, ipso ordinato ignorante, dedit Episcopo, non incurrit excommunicationem, nec suspensionem, nisi ignorantia sit culpabilis, *cap. 3. l. q. 5. cap. 37. b. t. nam poena adeo gravis, qualis est censura, sine culpa non incurritur. 3. Fit irregularis, si suspensionem violet, & praeterea incurrit, si saecularis sit, privationem officiorum, & beneficiorum, & inhabilitatem ad ea; si Regularis, voce activa, & passiva privatur, & inhabiles ad eam redditur. Conferentes, & suscipientes simoniace primam tonsuram, has poenas incurunt ob generalitatem. *Extr. 2. b. t. inter com. & quia in modo communi loquendi ordinari dicitur, qui tonsuram suscipit, cum constituitur in ordine Clericorum, & praecipue in nostra sententia asserente, primam tonsuram Ordinem esse.**

51 Quaelibet provisio ad beneficium proprie tale, sive saeculare, sive regulare, ut electio, confirmatio, vel institutio est ipso jure nulla, adeo ut nullum jus conferat beneficiato. *Extr. 2. b. t. inter com.* Etiam in electione unius ratum suffragium esset simoniace datum, omnibus aliis Canonice eligentibus. Hinc talis provisio non defenditur regula de Trienniali possessione, nam in ea expressè excluditur ingressus simoniacus, nec restituitur, etiam si vi spoliatur; cum titulo colorato careat, qui ad restitutionem in beneficiis requiritur, teneturque restituere, etiam ante omnem sententiam, fructus beneficii, non solum extantes; sed & consumptis; imò & quos potuit percipere, quia cum omni jure careat praedoni equiparatur. *Gonz. in cap. 12. b. t. n. 6.* Idem dicendum est de eo, qui licet simoniam ipse non commisisset, consensit tamen, vel non contradixit simoniae ab alio commissa, ut ipsi beneficium conferretur, siquidem electio, vel provisio beneficii est nulla. Idem est, quando parentes, v. g. vel amici illius, qui est promovendus, ipso sciente, & non protestante, imò protestante, sed sciente quod protestatio esset sine effectu, quia protestatione, non obstante ipsi simoniam commiserunt. Si vero ipse promovendus scivit, & contradixit, & nunquam in simoniam consensit, valet electio, vel provisio. Similiter tenet provisio, quando parentes, vel cognati simoniam commiserunt in fraudem promovendi, ut eum inhabilem redderent: quia magis debet tribui meritis innocentium, quam

perversorum hominum malitiae, *cap. 26. cap. 27. b. t. Gonz. in cap. 12. b. t. num. 3.* Quando simonia ab alio est commissa, ignorante beneficiario, dum in eo bona fides manet, fructus lucratur, sed hac deficiente, cum provisio sit nulla, fructus extantes restituere debet, si tamen per triennium pacifice possedit, nec fructus, nec beneficium tenetur restituere, sed regula de trienniali defenditur. *Suar. lib. 4. de Simon. cap. 57. n. 39. Gonzal. in cap. 12. b. t.*

52 Recipiens simoniace beneficium, etiam si ab alio committatur simonia, ipso beneficiario ignorante, redditur inhabilis ad illud beneficium pro ea vice obtinendum, *cap. 27. b. t.* nisi dispensetur, & quidem à solo Papa, quando beneficium simplex scienter, vel duplex etiam ignoranter est acquisitum, saltem si provisio nulla per sententiam fuit declarata. Etiam ab Episcopo, si beneficium simplex ignoranter est acquisitum, post liberam tamen ejus resignationem, fit dispensatio. *Gomez in cap. 26. b. t.* Sic beneficium recipiens, licet non privetur ipso jure beneficiis, ante obtentis, potest per sententiam privari, *cap. 21. de Accusat. obtinentes, & conferentes per simoniae beneficia Ecclesiastica proprie talia, & omnes cooperantes, ipso jure incurunt excommunicationem Pontifici reservatam: nisi delictum sit occultum, nam tunc possunt ab ea absolvi Episcopi. Extr. 2. b. t. int. com. S. Pius V. in Bull. Quam primam. Kal. April. 1566.* Et ex privilegio Mendicantes. *Suar. de Simon. lib. 4. cap. 61. n. 4.* Praedicta poena, quae circa beneficia sunt statuta comprehendunt omnia beneficia proprie talia, saecularia, & regularia, ut Praelaturas, quae in muneribus Ordinatio consistunt, ut Generalatus, Abbatia, praepositura, &c. non tamen ea, quae consistunt in nuda commissione, ad nutum revocabilia: nec comprehendunt pensiones, vicarias imperiales, munus Legati, Delegati, Inquisitionis, &c. licet alias in earum venditione simonia committatur. *Suar. L. 4. de Sim. cap. 57. n. 45.*

53 Qui scienter aliquem per simoniam, ad professionem regularem admittit, & qui taliter ingrediuntur excommunicationem Pontifici reservatam incurunt. *Extr. 1. b. t. inter com.* si delictum est occultum potest ab ea Episcopus absolvere. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6. & ex privilegio Mendicantes. Suar. de Sim. L. 4. cap. 61. n. 4.* Quae constitutio quoad

quoad excommunicationem, & suspensionem non est usu recepta. *Navarr. Less. de Just. L. 2. cap. 35. n. 131.* Capitulum vero in receptionem consentiens suspenditur ab Officio Capitulari. *Extr. 1. b. t. inter com.* Professio tamen valida est, ac proinde professi non possunt autoritate propria ad saeculum redire: qui tamen de simonia convicti fuerint, & condemnati, tam recipientes, quam recepti jubentur à Monasterio expelli, & in arctius detrudi, *cap. 25. cap. 40. b. t. Suar. lib. 4. de Simon.* Etiam infamiam juris incurunt, si ad novitatum admittuntur simoniace, gratis tamen ad professionem, haec poena non incuruntur. Incurrunt tamen etiam si gratis admittantur ad novitatum, dum tamen professio simoniaca sit: raro tamen haec poena incuruntur: quia si aliquid datur, facile à simonia, titulo sustentationis, vel donationis excusatur; imò, & si talis datio nullomodo à simonia excusetur, Monasterium etiam sit opulentum non tenetur restituere pecuniam sustentationi admissi respondentem pro professione acceptam; sed potest eam retinere, sed tamen non in commodum alicujus particularis, sed in usum communem convertenda est. *Suarez, de Simon. L. 4. cap. 59. n. 41.*

54 Simonia confidentialis opere completa, dato scilicet, & accepto beneficio, licet accipiens non impleverit ex sua parte promissionem solvendo; v. g. pensionem, nam hoc non requiritur, puniuntur excommunicatione Papae reservata, & si reus sit Episcopus, vel illo superior ab ingressu in Ecclesiam interdictur. Resignatio, & collatio per eam facta nullae sunt, resignans, & resignarius redduntur inhabiles, non solum ad idem, sed & ad alia obtinenda beneficia, & beneficiis, & pensionibus antea obtentis privantur: debet tamen praecedere sententia: nam hac poena privatur quis jure jam quasito, ac re jam possessa: proinde est necessaria sententia, licet Lex ipso jure privet. Beneficium resignatum simoniace Papae reservatur, & nequit ab Ordinario collatore conferri, & ejus fructus male percepti Camerae Apostolicae applicantur, etiam si ob aliquod privilegium, non reservetur. *S. Pius V. in Constit. Intolerabilis. Kal. Jun. 1569. Suar. L. 4. de Sim. cap. 43. n. 13.* solum in praedictis casibus simoniae commissae in beneficiis, ingressu Religionis, ordinatione, & simoniae confidentialis ipso jure, & facto incuruntur poena in simo-

niacos statuta, quia extra hos casus simonia commissa; v. g. in administratione Sacramentorum, poena non incurritur ipsosafecto, quia nihil exprimit jus. *Suar. de Sim. L. 4. cap. 55. n. 5. Navarr. Man. cap. 23. n. 111.* per sententiam tamen Judicis varia poena infligenda veniunt, *capit. 7. c. 8. & seqq. l. q. 1. cap. 11. c. 19. b. t.*

55 In simonia commissa extra causam beneficalem, qui rem spiritualem accipit, non tenetur eam restituere ante sententiam, quia hoc nullo jure exprimitur, & quia regulariter non violatur per simoniam justitia commutativa, ex qua obligatio restitutionis manat, sed solum Religio: quia licet constitutio in *cap. fin. de Pactis*, irritans conventiones unitas super rebus spiritualibus, non restringitur ad causas beneficiales, sed indiscriminatim accipitur, dicendum est tales conventiones irritas esse, antequam compleantur mercis, & pretii traditione; nam paciscentes, non tenentur conventionem adimplere, quin ejus adimplitione peccatum committitur, si vero res spiritualis dato pretio accepta sit, potest hoc retineri: sicut qui pecunia conducit assisium ad homicidium, vel meretricem ad peccatum, non tenetur pactum utpote peccaminosum adimplere, commisso tamen peccato, valet pretium retineri. Qui pretium recepit simoniace tantum, non vero injustè, hoc est contra justitiam commutativam, non tenetur illud ante sententiam restituere, nisi pretium excedat commodi temporalis translati, pro re spirituali aestimationem. Sic qui pro functione spirituali; v. g. sacrificio Missae pretium non injustum recepit, illud potest retinere, intentione simoniaca rejecta. Quando pretium non solum simoniace, sed & injustè, hoc est contra justitiam commutativam, acceptum est, debet etiam ante sententiam restitui: quia violatio justitiae commutativae hanc obligationem inducit. Sic restituere tenetur, qui pretium accepit pro re mere spirituali, nullo commodo temporali admixta, quia rei spiritualis nullum est pretium. Sic Parochus, qui ex officio debet Parochiano spiritualia administrare, contra justitiam peccat, & ad restitutionem tenetur, si pretium accipiat pro re, quam debet ex justitia. *Suar. lib. 4. de Simon. cap. 59. n. 11.* Idem dicendum est de simonia mentali; nam si pretium sit acceptum contra justitiam, cum nullum jus illud retinendi detur, debet tamquam res aliena restitui; si tamen pretium non

est injuste acceptum, non datur obligatio restituendi, cum nullius jus sit lasum: sat est, si accipiens poeniteat de mala intentione, qua illud accipit, *cap. fin. b. t. ibid. Gonz. n. 3. cum Suar. contra alios.*

56 Pretium simoniacè acceptum ejus Domino restituendum est, qui lesionem patitur, & non aliter censeretur voluisse dare, quam ut pretium ad rem spiritualem emendat, ac proinde si ipse pretium gratis cedat vendenti rem spiritualem, hic non tenetur restituere, donec per sententiam illud ab ipso, imò, & à suo Domino in criminis poenam, auferatur, & Ecclesiæ, vel pauperibus applicetur. Sic igitur ex Jure Ecclesiastico, *cap. 11. b. t.* pretium in collatione beneficii datum restituendum est Ecclesiæ, in qua est situm beneficium, vel pauperibus, si superior ita disponat. *D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. Suar. de Simon. lib. 4. Quæ omnia habentur in tot. tit. 17. p. 1. & latius in tot. caus. 1. per septem quest. tractantque Moralista ad titul. de Sim. Vid. Laer. L. 3. p. 1. ex n. 56.*

## TIT. IV.

*Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.*

57 **P**rohibetur in præsentem ne Prælati, beneficiati, vel alii Officiales Ecclesiastici vices suas, hoc est jurisdictionem, vel potestatem Ecclesiasticam curam animarum, consecrationem, dispensationem, vel administrationem Ecclesiasticam annexam ipsis Prælatibus, vel Beneficiis Ecclesiasticis concedant, vel locent pro temporali pensione præcipue pecuniaria, singulis annis solvenda, quæ nomine census annui in præsentem Rubrica intelligitur: nam simoniam committunt, si quid spirituale, vel spirituali annexum cum re temporali permittant, *cap. 1. cap. 2. cap. 3. b. t. Trident. sess. 25. de Reform. cap. 1. L. 8. tit. 17. p. 1. ibi: Arrendar non puede el Prelado sus vices, nin poner Vicarios por precio en su lugar. Et Greg. Lop. ibid.* Potest tamen quæ locare fructus, & proventus prædictorum, imò & ipsa prædia pro annua pensione ad breve tempus, *cap. 9. de Rebus Eccles. cap. 2. de Locat. & conduct. Extr. ambrosiose de Rebus Eccles. int. com.* tunc enim temporale pro temporali commu-

tatur, & hac ratione potest Prælati, cujus Monasterio est beneficium incorporatum à Vicario pro integris fructibus ei relinquendis annuam pensionem nominat absentia, vel alio quocumque titulo accipere.

58 Episcopus potest, remittendo jurisdictionem, vel concedendo Ecclesiæ, alias sibi subjectæ, exemptionem aliquid recipere, non tamquam pretium jurisdictionis remissa, sed in recognitionem antiqæ subjectionis, & in signum libertatis acceptæ, *cap. 15. de Simon.* Potest similiter dare Vicario Generali in spiritualibus annuam pensionem pecuniariam, *cap. 30. de Præbendis, & dignit.* Non pro jurisdictione exercenda, sed tamquam stipendium sustentationis, *cap. 28. de Appellat. cap. 3. de Cler. agrot. nec propriis stipendiis quisquam militare tenetur. 1. Cor. 9. v. 7.* Qui contra præsentem prohibitionem vices suas sub annuo censu concedit, potestare conferendi privatur, & canonica distractione percillitur, hoc est deponitur, vel suspenditur pro qualitate delicti, quamvis sit Episcopus. Dans pecuniam pro officio, illud sic obtentum amittit, & removetur à Clero, *cap. 1. cap. 2. b. t.* & tam dantes, quam accipientes pecuniam pro jurisdictione Ecclesiastica exercenda excluduntur ab Ecclesia, in cujus contumeliam hoc fecerunt, *cap. pit. 38. de Simon.*

## TIT. V.

*De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.*

59 **M**aximè Reipublicè expedit tenebras ignorantia luce scientiarum expelli: nam ut ait Alfonsus noster sapientissimus Rex in *princ. t. 31. p. 2. Porque de los omes sabios, los omes, & las tierras, & los Reynos se aprovechan, & se guardan, & se guian por el consejo de ellos, cap. 2. de Privileg. in 6. ibi: Cum de diversis mundi partibus multi confluant ad Sedem Apostolicam, quasi matrem, nos ad commune, tam ipsorum, quam aliorum omnium commodum, & profectum, providimus, quod ibidem de cætero regatur, & vigeat studium Juris Divini, & Humani, Canonico videlicet, & Civili.* Et ideo tanta sollicitudine studia in Civitatibus exiguntur. Duplex ergo potest esse studium aliud

aliud est particulare, in quo scilicet privatim ab aliquo Magistro certo loco docetur, aliud est generale, quod etiam Universitatibus, & Academiis, dicitur, quod scilicet privilegio Papæ, vel Regis est erectum, ut ibi sint Doctores, & Magistri Canonum (in his etiam Sacra Theologia comprehenditur) Legum, Astrologiæ, Geometriæ, Arithmetica, Logica, seu Philosophiæ, & Grammatica. *L. 1. t. 31. p. 2. & ut notat Gregor. Lop. ibid. ex Palud. & Cardinal.* Si alicubi legantur Theologia, & liberales Artes est signum studii generalis. Etiam erit studium generale, si jus Canonicum, & Civile ibi doceatur, *c. 2. de privil. in 6.* Studia generalia toto Orbe celeberrima, & ut talia in corpore juris inculta sunt Universitates nostra Salmantina, Parisiensis, Oxoniensis, & Bononiensis, *Cl. 1. h. t.* Qui enim in studio litteratio perseverantia constanti currunt, tres solent obtinere lauras. 1. assequuntur Baccalari, sic dicti à bacca lauri, seu frondibus baccais lauri, quæ sic promotis concedebantur. *Mendo de Jur. Academ. lib. 1. n. 285.* Secundam assequuntur licentiat, sic dicti à licentia, seu facultate supremum Doctoratus gradum, cum voluerint capessendi: ac proinde privilegiis, & prærogativis Doctorum, in favorabilibus gaudent, admittendique sunt ad omnes dignitates, ad quas DD. admittuntur, *arg. L. 43. ff. de Testam. Militar.* Ubi proxime accingendus pro accinto habetur, ut privilegio militari ad testamentum faciendum gaudeat, ut *ibid. notat. Grotiofr.* nisi expressè requiratur, quod gradu Doctoris sint insigniti sicut Jus Canonicum requirit Doctoratum ad apericendas, & exequendas litteras Apostolicas. Tertium assequuntur Doctores: ita dicti quia habent ab aliqua Academiâ suæ doctrinæ testimonium, ut posint consuli, & eorum judicio fidatur, quasi approbato publice ab Academiâ.

60 Hi Doctores solent etiam appellari Magistri, sed in nostra Hispania Magistri nomen Philosophis est relictum, & nomen Doctoris tantum retinet, qui in Theologia, in Jure, vel Medicina supremum obtinent gradum. Hi omnes bireto, muzeta, & annulo, aliisque insignibus ornatur, sed per varios colores distinguuntur. Theologi enim albo, Canoniste viridi, Juriste purpurco, Philosophi cælesti colore, tam in serico vituli, quam infimbria muzetæ, utuntur. Sicut olim, qui in Ludis Olympicis ad

Tom. II.

metam percurrerant, coronabantur olea. Sic *Virgilius Aenid. 3. Tres præmia primi accipient, stovagus caput metentur olivæ.* Etiam Milites, & Duces pro facinorum varietate, his coronis decorabantur. Hinc Appollo Daphnem in laurum conversam sic alloquitur:

*Tu ducibus lætis aderis cum læta triumphum,  
Vox canet, & longas visent Capitolia pampa.*

In vulgari tamen acceptione, ad quemcumque Præceptorem extenditur nomen Magistri. *L. 57. ff. de V. S.* Cui enim præcipua cura rerum incumbit, & qui magis, quam ceteri diligentiam, & sollicitudinem rebus, quibus præsumt debent, hi Magistri appellantur: Unde etiam cujuslibet disciplina: Præceptores Magistras appellamus à momento, vel monstrando *Virg. 1. Georg. Pan curat oves, volumque Magistros.* Qui Philosophiæ gradum accipiunt liberalium Artium Magistri indignantur. Artes liberales præcipue hoc versu comprehenduntur.

*Lingua, Tropus, Ratio, Numerus  
Sonus, Angulus, Astra.* Quarum munera sic explicantur:

*Gram. loquitur, Dia. vera docet, Rhet. verba colorat,*

*Mus. canit, Ar. numerat, Geom. ponderat, Ast. colit, Astra.*

61 Pontifex potest creare DD. in Sacra Theologia, & Jure Canonico, quia sunt scientiæ ex suo fine spirituales. Reges, & alii Principes in temporalibus non habentes superiorem possunt gradum concedere in Jure Civili, Medicina, & Philosophiâ; & aliquando hanc potestatem exercuerunt, teste *Mendo de Jur. Acad. lib. 1. n. 73. & 36.* Doctores possunt creari omnes, qui non prohibentur, debent tamen esse 1. mares: nam femina, cui non licet docere, non est doctoranda. *c. 17. 33. q. 5. L. 2. ff. de Reg. jur. 2.* Debent esse Catholici: nam à tali gradu in quemcumque facultate Judæi excluduntur; *arg. L. fin. C. de Judæis. 3. Majores 17. annis; arg. L. 1. §. 1. ff. de Postul. Magis tamen, quam ætas, scientia debet attendi, ita ut hæc supleat ætatem; *arg. c. fin. de Desponsat. impuber. 4.* Debent habere saltem scientiam sufficientem. Et cum ejus defectus in grave damnum proximorum, qui eorum judicio fidunt, vergat, vix à peccato gravi possunt excusari, qui indignos ad talem gradum promovent. *Mendo de Jur. Acad. lib. 1. n. 363.* In aliquibus universi-*



personalis, nemini potest per Precuratorem fieri; *arg. L. 123. ff. de Reg. jur.* Deinde *Clem. 2. b. t. præcipit*, ut a Doctorandis exigatur iuramentum, quo promittant, se non impensuros in tali inauguratione ultra tria millia Turonensium argenteorum, seu ducentos quinquaginta aureos. Sed hæc constitutio vix usum habet, præcipue in nostra Salmantina Universitate. In congressibus, & suffragiis ferendis primum locum obtinent DD. Theologi. 2. DD. juris. 3. Medici. Ultimò Pilosophi, nisi aliud suadeat consuetudo, ut in nostra Salmantina Universitate obtinet; ibi enim inter DD. Theologia, & juris ille in loco præfertur, qui in gradus susceptione est antiquior. *Mendo, lib. 1. de Jur. Acad. n. 300.* Ille qui pluribus gradibus decoratur, si unus saltem sit æqualis illi, quem alter habet, et præfertur; v. g. Doctor Theologia, & Juris Canonici præfertur Doctori tantum Theologo. Doctor tamen utriusque juris Doctoris Theologo non præfertur: quia gradus juris est inferior gradu Theologico.

62 Pontifex, & Supremi Principes hæc potestatem communicaverunt Academicis, & Universitatibus Generalium studiorum, & eam per assignatos ad hoc munus in unaquaque facultate, exercent, etiamsi tales careant gradu, quem conferunt. In nostra celeberrima Salmantina Universitate gradus confert Scholasticus, seu Magister Scholæ. *Gonz. in c. 4. b. t. n. 5. Mendo de Jur. Acad. lib. 1. n. 171.* in Parisensi Carcellarius Academiae: in Bononiensi Archidiaconus Ecclesie Majoris. Etiam solent Pontifex, & alii Principes hæc facultatem aliis concedere. Sic Rector hujus Maniliensis Societatis Jesu Collegii confert gradus, etiam supremos in Philosophia, & Theologia, ex privilegio Pontificio, & Regio. *L. 2. tit. 22. lib. 1. Recop. Ind.* Et hæc nostram Academiam de novo confirmavit lectionemque Sacrorum Canonum, & Institutionum Civilium die 23. Octob. ann. 1733. concessit, & auxit noster Potentissimus Monarcha Philippus V. de quo certè dicere possumus: *Non illo melior quisquam, nec amantior equè vir fuit.* Et demum amplissimam facultatem gradus conferendi N. S. P. Clemens XII. Indulsit die 6. Decembr. ann. 1735. in Const. quæ incipit: *Militantibus*, quam in nostræ Universitatis Constitutionibus, quibus coordinandis, & addendis nunc indefesse incumbo ad litteram dabo: & juris publici fiet.

63 Ut gradus alicui conferatur, præcedere debet examen, ut ejus scientia nota fiat. *L. 7. C. de Profes. & Medicis.* Si de ejus sufficientia constat, potest examen remitti: debet fieri professio fidei. *L. 14. tit. 22. lib. 1. R. Ind. & in L. 15.* jubetur, quod graduandus juret defendere opinionem piam circa Conceptionem B. V. M. si in Universitate est jurata. Et practicitur in hac nostra Manilana Academia Soc. Jesu. Et in ipsa promotione, seu inauguratione debent tradi ipsi candidato Doctoralia insignia, & cum hæc actio gradum recipiendi sit

personalis, nemini potest per Precuratorem fieri; *arg. L. 123. ff. de Reg. jur.* Deinde *Clem. 2. b. t. præcipit*, ut a Doctorandis exigatur iuramentum, quo promittant, se non impensuros in tali inauguratione ultra tria millia Turonensium argenteorum, seu ducentos quinquaginta aureos. Sed hæc constitutio vix usum habet, præcipue in nostra Salmantina Universitate. In congressibus, & suffragiis ferendis primum locum obtinent DD. Theologi. 2. DD. juris. 3. Medici. Ultimò Pilosophi, nisi aliud suadeat consuetudo, ut in nostra Salmantina Universitate obtinet; ibi enim inter DD. Theologia, & juris ille in loco præfertur, qui in gradus susceptione est antiquior. *Mendo, lib. 1. de Jur. Acad. n. 300.* Ille qui pluribus gradibus decoratur, si unus saltem sit æqualis illi, quem alter habet, et præfertur; v. g. Doctor Theologia, & Juris Canonici præfertur Doctori tantum Theologo. Doctor tamen utriusque juris Doctoris Theologo non præfertur: quia gradus juris est inferior gradu Theologico.

64 Cujuscumque facultatis Doctores à plebeja conditione eximuntur, nobiles fiunt, eorumque privilegii gaudens & indignitate constituuntur; *arg. c. 3. b. t. Cl. 2. eod. singulari honore, & reverentia affici debent arg. L. 2. L. 3. C. de Offic. divers. Judic.* Testimonii causa non debent ad tribunal vocari; sed in eorum domibus, sunt examinandi; *arg. L. 15. ff. de Jur. jur.* in testimonio dicendo magis attenditur dictum Doctoris, quam alterius, hæc dignitate carentis. *Mench. de Arbitr. cas. 96. n. 9.* Eximuntur à muneribus realibus, & personalibus, ut ab onere milites hospitandi *L. 6. L. fin. C. de Profes. & Medicis.* Non possunt obas alienum incarcerari; imò etiam quando rei criminis sunt, non in carcere publico, sed in alio decenti loco debent custodiri *arg. C. fin. de Pœnis*, nec sunt torquendi, nisi in criminibus exceptis. *Mench. de Arbitr. cas. 23. n. 22.* nec sunt supplicio ignominioso afficiendi, ut laquei, vel fustigationis, vel trëmium pœnis, sed si pœnam merentur capitalem, gladio puniuntur; *arg. L. 9. §. 11. ff. de Pœnis.* Doctores præ ceteris ad dignitates Ecclesiasticas, & Sæculares promovendi sunt; *arg. c. 7. de Elect. c. 28. de Præbend. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 12.* & in gratiis de eodem beneficio factis in pari data præferuntur graduati non graduati.

duatis, & inter graduatos magis graduati, & inter æque graduatos prius graduati.

65 Professores: qui actu docent, quamvis juniores, aliis non professoribus præferuntur; *arg. L. 1. C. de Consul. pro Professoribus militat præsumptio singularis doctrinæ, consenturque tanquam oraculum civitatis: & ut facilius studiis vacent, possunt impedire, ne in illo vico fabri obstrepentes admittantur, non tamen possunt expellere eos, qui ibi erant antequam ipsi domum condixissent. Mench. de Arbitr. cas. 236.* Denique in *L. 8. tit. 31. p. 2.* referuntur varia privilegia Doctorum. Qui publice in Universitate Theologiam, etiam voluntarie, & sine stipendio docent, etiam absentes à suis Ecclesiis, & beneficiis, integros fructus percipiunt. *c. fin. b. t. Trid. sess. 5. de Ref. cap. 1. Gare. de Benef. p. 3. c. 2. n. 60.* non verò distributiones quotidianas; *arg. c. 32. de Præbend. nisi die, quo legunt, vel si hoc consuetudo Ecclesie concedat, vel nisi beneficii fructus, vel major eorum pars in his distributionibus consistat, idem est de docentibus publice Jus Canonicum, ut declaratum à S. Congregatione, restatur Gare. de Benef. p. 3. c. 2. n. 54.* Qui enim has sacras facultates explicant, & docent magis prorsus publice Ecclesie utilitati, quam si in loco beneficii residerent. Idem privilegium ad alias facultates pro nostra Universitate Salmantina extendit *Eugen. IV.* Professoribus, qui ob morbum, vel senectutem legere nequeunt, integrum debet solvi stipendium: imò si intra annum moriantur post lectiones inchoatas, integrum salarium debetur, etiamsi hoc per angaris, aut menses præstaretur quod ad hæredes transmittitur. *Mend. de Jur. Acad. L. 1. n. 311.* His prærogativis gaudet etiam male promoti, & DD. Bullati, quia à Supremo Principe prævio Academicorum examine per transcriptum, gradum obtinuerunt, secus ille, qui à Comitibus Palatinis promoti sunt, prætextu facultatis à Sede Apostolica concessæ: nam tales quoad Ecclesiasticas Dignitates, & beneficia nulla prærogativa gaudent. *S. Pius V. in Const. Quamvis, 1568. arg. Trid. sess. 22. de Ref. c. 2.*

66 In Ecclesiis Cathedralibus Metropolitanis debet Prelatus cum consensu Capituli Magistrum Theologie deputare, ut Clericos Sacram Scripturam doceat, & ea, quæ ad curam animarum spectant. In Cathedralibus non Metropolitanis, &

in Collegiis debet deputari Magister, qui Clericos, & alios Scholares pauperes Grammaticam doceat. *c. 1. c. 4. b. t. Et Trid. sess. 5. de Ref. cap. 1.* decrevit, ut in quacumque Cathedrali, imò & Collegiata, quæ in Oppido insigni existat, & etiam in Monasteriis, in quibus id commode fieri possit, Magister deputetur, qui Sacram Scripturam, vel Theologiam, doceat & ipsi præbenda, quæ est dignitas, est assignata, & Canonicus, qui eam obtinet dicitur *Scholasticus, & Magister Scholæ, c. 3. b. t.* de quo jam diximus. Ad hanc præbendam posse etiam Canonistam admitti sæpe sæpius declaratum est à S. Congreg. apud *Pignatell. tom. 1. cons. 147. n. 1. & 17.* nam Jus Canonicum est pars Theologiae, & etiam Theologia practica dicitur: siquidem Canonista Sacram Scripturam, ex qua desumpti sunt Sacri Canones, & regulas Theologiae Moralis, explanant, Clericosque, & fideles, in his, quæ ad salutem, & curam attinent animarum, tam in foro interno, quam externo instruunt, ut jam diximus.

57 Indignum equidem, & turpe foret pretium à viris doctis extorquere pro facultate docendi disciplinas, & scientias, quæ aded utiles sunt Republicæ, cum potius honoribus, precibus, & præmiis invitari debent, ut suæ scientiæ Theaurum ad publicam utilitatem aperiant: nam per litterarum cognitionem (ait *Plutarch. de Instir. liber.*) *Nosce licet, quid honestum, quid turpe, quid justum, quid iniquum, quid expetendum, quid fugiendum, quemadmodum erga Deos, quemadmodum erga parentes, qui erga majores nati, qui erga Leges, qui adversus Magistratus, qui adversus alienos, qui adversus amicos, qui adversus conjuges, qui adversus servos nos gerere debeamus; Deos, ut colamus, parentes, ut veneremur; majores nati, ut revereamur; Legibus pareamus, Magistribus obedientes simus, amicos diligamus: caste cum conjugibus agamus, pietatem in liberos exercemus: in servos non sæviamus, & quod caput est, rebus secundis, ut non exaltemur, neque nimium ambitione contrahamus rebus asperis, neque in voluptatibus gestiamus, nec ira exardescamus, vel efferati simus.* Ideò prohibitum est in præsentibus Rubrica (quæ cum faciat sensum perfectum, vim juris habet) ne aliquid exigatur pro licentia docendi. Qui verò aliter faciat, id quod accepit restituere jubetur, & pibatione Dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum pu-

punitur, nec ulla consuetudine potest hæc exactio coonestari. *t. 1. c. 2. c. 3. b. t. in omnibus universitatibus usu receptum est pro gradibus conferendis in omnibus facultatibus, pecuniam, & stipendia. Hispanæ. Propinas accipere, & majora quidem in celebrioribus Academicis; non tamen pro licentia docendi, sed pro honoribus, & emolumentis temporalibus, quæ graduati consequuntur: in quo nulla est turpitudine, ac proinde nulla prohibitio. Mendo de Jur. Acad. lib. 2. quat. 11. Gonz. in c. 4. b. t. num. fin.*

68 Licet prohibitum, & turpe sit, aliquod pro licentia docendi exigere, non tamen est simonia, nisi hæc licentia proveniat à potestate spiritualis jurisdictionis; si v. g. lecturæ sit annexum aliquod beneficium Ecclesiasticum, secus aliter: nam gradus litterarum solum continent dignitatem, & privilegia, quæ sunt, quid temporale pretio æstimabile. *L. 10. tit. 17. p. 1. ibi: Otrasi aquellos, que han poder de dar licencia á los Scholares para ser Maestros, no lo deben hacer por precio; è si solo fueren, como quier que non farián simonia, caorian por ende en gran peccado, que dicen en latin crimen concussionis, que quiere tanto decir, como en manera de amenaza de amenaza. Si responsum, vel instructio ordinaretur ad hæreticos, vel infideles convincendos, ad consentias interrogantium liberandas à scrupulis ad absterrendos peccatores à culpis, ut faciunt confessarii Concionatores, & catechistæ, cum hæc actiones ex suo fine sint supernaturales, esset simonia aliquod temporale pro eis exigere, vel accipere. D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. Suarez. lib. 4. de Simon. c. 18. n. 22. Non verò committitur simonia pro actu docendi Jus Civile, Medicinæ, vel Artes liberales, cum in earum facultatum explanatione nihil spirituale, vel spirituali annexum reperitur: imò neque pro docendo Theologiam, seu Jus Canonicum, nec pro consilio Theologico Canonico, vel morali prestando, ut fit regulariter in Scholis, quia hæc facultates solum ordinantur ad illustrandum intellectum audientium, eorumque memoriam juvandam, & difficultatem in eis addiscendis minuendam. *L. 10. tit. 17. p. 1. ibi: Si lo demandasse, è lo tomasse, seria como simonia: mas los Maestros, que non reciben beneficios de las Iglesias, bien pueden tomar soldada de los Scholares, que demonstrassen. Et ut ibidem notat Greg. Lop. non dicitur propriè et**

simonia, cum stricto modo, largo tamen modo sit.

## TIT. VI.

## De Judæis, &amp; Sarracenis eorumque servis.

69 **A** Gimus in præsentî de Judæis, & Sarracenis, & incidenter de aliis infidelibus. Infideles dicuntur, quicumque, & quomodocumque, non sunt fideles. Et certè per infidelitatem fides amittitur. *Trid. sess. 6. de Justificat. c. 15. per infidelitatem communis intelligitur peccatum mortale, quod est directe contra fidem, & illius formali objecto opponitur. Et quamvis opera infidelium, quando ad suæ infidelitatis finem ordinantur sint peccata. D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 7. ad 1. tamen si ex fine honesto aliquis actus ab ipsis fiat v. g. succurrere miseris, obedire parentibus, &c. minime peccatum est, ut contra varios errores definitur: nam inter propositiones Bani damnatas à S. Pio V. Greg. XIII. hæc est 25. Omnia operam infidelium sunt peccata. Philosopherum virtutes sunt vitia. Et Alex. VIII. hæc propositionem, que est 8. damnavit. Necessè est, infidelem in omni opere peccare. Infidelitas genericè accepta triplex est. 1. Negativa, in qua misere jacent, illi qui nihil unquam audierunt de fide. Et hæc non tam est peccatum, quam poena peccati. Deus enim eos lumine Fidei illustrasset, si quod in ipsis est fecissent. 2. Est Privativa: quia privativè fidei opponitur, & est ignorantia culpabilis, vel error circa res fidei. 3. Est contraria, & est eorum, qui fidem contemnunt, vel ei pertinaciter contradicunt, post ejus sufficientem propositionem. Hæc est triplex ex triplici modo repugnandi fidei: Paganismus scilicet, Judaismus, & Hæresis. D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 5. Suarez de Fide, D. 16. sect. 5. n. 8. Castropal. tr. 4. D. 2. p. 1. n. 8. Atheismus, qui nullum Deum recognoscit, reducitur ad Paganismum, quia utrumque Testamentum negat. Apostasia, per quam quis in totum deficit à fide, ad hæresim reducitur. Paganismus est error fidei nondum susceptæ repugnans. Sic Gentiles, & Pagani, qui non sunt baptizati negant veritates, & Mystéria veteris, & novi Testamenti. Huc reducuntur Sarraceni, sic dicti à*

Sa-

## de Judæis, &amp; Sarracenis eorumque servis.

Sarà uxore Abrahæ, à qua originem se trahere fingunt, cum ipsi ab Agar ejus serva descendant, ac proinde Agareni debent vocari. *L. 1. tit. 25. p. 7. ibi: Sarracenus en latin, tanto quiere decir en romance, como Moro; è tomò este nome de Sara, que fue muger libre de Abrahán, como quier que el linage de los Moros non descendiese de ella, mas de Agár, que fue servienta de Abrahán. Hi Alcorano impli Mahumeti obstinatissimè adhærent. Tales sunt Mauri, Turcæ, Arabes, &c. eorum templa Mezquita appellamus. *L. 1. tit. 25. p. 7. Duplex eorum est Secta. Alii enim nec novo, nec veteri Testamento credunt; alii admittunt quinque libros Moysis, & Samaritani nuncupantur. Judaismus est error fidei in typo susceptæ repugnans. Si Judæi (sumpta hæc voce non solum pro Natione descendente à Tribu Juda, sed etiam per Secta) solum veteri Testamento adhærent, quin credant Christum venisse, sed sperant ipsum venturum. Umbram adorant, scilicet Legem veterem: sed corpus contemnunt, scilicet mysteria novi Testamenti, quorum erant umbra, & figura præcepta ceremonialia, & judicialia antiqua. *L. 1. tit. 24. p. 7. ibi: Judío es dicho aquel, que cree, è tiene la Ley de Moysén, segun suena la letra de ella, è que se circuncida, è hace las otras cosas, que manda su Ley; è tomò este nome del Tribu de Judá, que fue mas noble, è mas esforzado que los otros Tribus. Et ut ibidem notat Gregor. Lop. etiam dicuntur Hebræi ab Heber, cujus familia cultum tenuit unius Dei, cæteris idolatria feceratis.***

70 Jure Naturali, & Divino est prohibitum fidelibus communicare cum infidelibus in suis sacrificiis, orationibus, culto supersticioso, aliisque ritibus: quia hæc omnia intrinsecè sunt mala, nec aliqua ratione possunt coonestari, potest tamen fidelis Judæorum Synagogas, & templa Gentilium ingredi, ut videat structuram, & eorum ornatum: dum non ingrediatur tempore, quo suas ceremonias, ac superstitiones exercent. Et fine bono; v. g. ad eorum ritos confutandos, potest quis ingredi. Si tamen ex vana curiositate, quis ingrediatur, ut eorum ceremonias videat, si absit scandalum, & perversionis periculum, tantum erit peccatum veniale. Sanchez in Decal. l. 2. cap. 31. num. 18. Quamvis non possit Christianus azymis Judæorum etiam seorsim ab eis vesci, quatenus talis

panis est cibus Judæorum discretivus, *cap. 8. 32. q. 4. Potest tamen quis eis vesci in necessitate, quatenus est simplex panis. Sicut etiam potest vesci idolochitatis, seu cibis consecratis idolis. Gloss. in cap. 8. 32. q. 4. V. Fame. Nullus potest, Jure Divino repugnante, Judæum, vel Infidelem ad Sacramentorum participationem admittere: quia cum non sit baptizatus, est eorum incapax. Nec ad sacrificium Missæ potest admitti, ex prohibitione Juris, nisi ad Missam Cathecumenorum, *cap. 67. de Consecr. D. 1. vel nisi specialis fructus speraretur.**

71 Nec licet Christianis cohabitare Judæis, *cap. 13. 28. q. 1. cap. 5. b. t. nec ad eorum convivia accedere, cap. 14. 28. q. 1. nec ludos, nuptias, aut choreas eorum adire. Sanchez in Decal. l. 2. cap. 31. n. 17. apud Judæum cauponem, vel cum alio Judæo in idem hospitium concurrente, licet potest Christianus vesci. Nec uti eodem balneo simul, hoc est eodem tempore cum ipsis, possunt Christiani: nec item Medicos, nec Chirurgos Judæos, nec medicamenta ab ipsis preparata adhibere, *cap. 5. b. t. Potest tamen quis à Judæo medicinam emere, dum illas ipse non præparet, vel saltem non applicet: Christianus tamen potest Judæis medicinam, etiam extra casum necessitatis applicare: cum hoc nunquam reperitur prohibitum, ut tenent Castrop. tr. 4. D. 2. p. 9. n. 11. contra Sanchez. in Decal. lib. 2. cap. 31. n. 10. Christianus non potest Judæo servire, *cap. 5. cap. 8. b. t. tam propter familiaritatem vitandam, tum maxime, quia non decet contra Apostoli dictum, quod filii liberæ quales sunt Christiani, serviant filiis ancillæ, ut sunt Judæi, cap. 13. b. t. Nec Judæis permittitur mancipia, & servos Christianos habere, cap. 1. cap. 5. cap. fin. b. t. possunt tamen adscriptitios, & originarios fundo adscriptos habere, quia hi non sunt propriè servi, cap. 2. b. t. Licet tamen Christianis suas operas, suasque res, ut animalia, currus, &c. Judæis locare; *arg. cap. 2. b. t. Etiam prohibitum est Christianis famulos Judæos habere domesticos, & familiares ob perversionis periculum, cap. 8. b. t. Nec possunt Judæi ad suos liberos lactandos habere nutrices Christianas, nec in domibus eorum, ut frequenter accidit, cap. 8. b. t. nec extra domus, ex Const. Paul. IV. Cum enim. Et Greg. XIII. Antiqua, nisi familiaritas cum eis cesserit, vel tales liberi sint orphanæ. Gonz. in cap. 8. b. t. Casus, in quibus communicatio cum****